



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Hic Vbi Fons Paderæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

gensis dominij sit fundata, & inde originem ducat, ne ipsum castrum funditus collabi sinant, sed superiorem ejus aream bene conclusam, per janitorem custodiant, atque ipsam turrim instaurent, ac sartam rectam conservent.

9. IPSA VIDET SI QVOQUE SAXA MORI. Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt aut occisus est: quum, uno loco, tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Sulpit. ad Cicer. epist. famil. lib. 4. epist. 5. In eundem sensum Rutilius in itinerario de Populonia everfa.

*Non indignemur mortalia corpora solvi,
Cernimus exemplis oppida posse mori.*

PADERAE FONTES.

I. **HIC VBI FONS PADERÆ.** *Padera* in carmine de Leonis III. ad Carolum adventu *Patra* vocatur.

*Est locus insignis, quo PATRA & Lippa fluentant,
Altus & in nudo campo jacet, undique largo
Vestitus spatio: celfo de colle videri*

Namque potest legio omnis, & hinc exercitus omnis,

Castra Ducum, & Comitum, radiantiæque arma virorum.

In vita S. Adalardi per S. Paschasium Ratbertum apud Bollandum 2. Januar. cap. 16. num. 66. *Pater* appellatur: ita enim describitur Corbejæ Saxonice situs. *Est autem locus pergentibus ad ortum solis de fonte PATRIS situs supra littus VVirsire, &c.* Franciscus Irenicus lib. 12. Germaniæ Exegeleos *Padam*, alij *Padum*, *Padram*, *Pather* nuncupant. *Pader* Gobelinus Persona, & communis loquendi usus retinet.

2. **MEDIA SVRGENTIS IN VRBE.** *Qui nobis tabulas Ptolemei egregiè illustratas edi derunt, cum inter Germania*